



2.

DE  
MORBORVM  
ACVTORVM ET CHRONICORVM  
DIFFERENTIA VERA

---

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE VIII. DECEMBRIS A. R. S. MDCCCXLIV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

HANS VENNINGHAVSEN

BVRGO-FEHMERANVS.

---

HALAE MAGDEBVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.



DE  
MORBORVM  
ACUTORVM ET CHRONICORVM  
DIFFERENTIA VERA

AVRUM TAVINIS AVREIS  
CONSENSU GRATIORI ORDINE MEDICORVM  
PRAESIDE  
MRS KVAVTUS PROPRIVS VNS ET PRAESIDENTI  
D. ANDREA ELIA BACHNERO  
DEI ROMANI IMPERII NOBILIS  
TOTIENSIS PATRIAE REGIS A CONSILII INTIMS  
MEDICINAE MAGISTRUS NATVRALES PROTOCORE VNS DEIN ARSIO  
PROFESSOR VNS VNS ET MAGISTRVS VNS VNS VNS VNS VNS  
IMPERIALI ACADEMIAE NATVRAE C. MAGISTRVS PRAESIDE  
LITVA VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS  
ET MAGISTRVS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS

PROGRADV POCITORIS  
SYMMONIS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS  
DOCTORALIS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS  
DIE VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS  
IN ALMA REGIA VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS

HANS VENNIONAVSEN  
AVROU VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS  
REGIA VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS VNS





V I R O  
PRAENOBILISSIMO, CONSULTISSIMO  
ET AMPLISSIMO  
D O M I N O  
HANS MILDENSTEIN  
CIVITATIS BVRGENSIS, IN FIMBRIA,  
CONSULI MERITISSIMO,  
A V O S V O  
E T  
FIDEI IN SACRO BAPTISMATE SPONSORI  
OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE CVLTY  
AETERNVM VENERANDO,



HASCE  
STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS  
VT PVBLICVM  
DEVOTISSIMAE MENTIS, GRATISSIMI ANIMI  
SANCTISSIMAEQVE PIETATIS,  
PRO SINGVLARI ET SVMMA  
AD SVAM SALVTEM EFFICIENDAM  
ADHIBITA CVRA  
ET PLVSQVAM PATERNO TENERRIMO AMORE,  
MONVMENTVM ATQVE TESTIMONIVM  
EXCITET AC STABILIA T,  
CVM VOTO DEVOTISSIMO  
FELICITATIS CONSVMMATISSIMAE  
ET  
PER PLVRES ADHVC ANNOS DV RATVRAE  
SVB INGRAVESCENTE SENIO  
INCOLVMITATIS,  
SACRV M ESSE VOLVIT  
NEPOS OBSEQVENTISSIMVS

HANS VENNINGHAVSEN.





§. I.



Tota, quam late patet, Pathologia ideo a Medico discitur & pertractatur, ut viam pandat ad feliciorum morborum curationem. Huic nisi Pathologia inseruit, sterilis est, ex sanguis & ingenii luxuriantis lusus. Nunc omnis Pathologiae ambitus morbis, differentiis, causis & symptomatibus eorum absolvitur. Eo ergo cuicumque Pathologo adnitendum erit, ut ex illorum consideratione vera & constans ad Praxin medicam redundet utilitas. Ut vero scopus ille impetretur, opus est, ut non solum morbi, differentiae, causae & symptomata morborum exacte recenscantur, demonstrantur & delineentur, verum etiam tam eo exactius hoc perficiatur, quo gravius est unumquodque horum, quam hac ratione omnia ad-



umbrentur, vt notiones & repraesentationes hinc formatae quam proxime iis demonstrationibus inseruire possint, quas Therapia suppeditare debet. Atque id inprimis de morbis ipsis eorumque differentiis valebit.

## §. II.

*Morbus* concipi debet, vt talis fluidorum & solidorum corporis humani status, quo fit, vt functiones laedantur. Erit itaque hac ratione illi statui harum corporis humani partium oppositus, sub quo functiones illaefae nascuntur atque perdurant; quem consequenter ita mutat, vt salutarem suum adnotatum effectum nequeat amplius exferere. Quare necesse est, vt, praesente sanitate, vires in solidis fluidisque corporis humani partibus lateant, quarum actio functionum integritatem conseruat & efficit, quae vero sub morbo ita mutantur, vt functiones corporis humani imperfectius determinent. Sub omni igitur morbo agitur in vires corporis humani; neque sine eo morbus vel existere, vel possibilis esse potest. Haec ea propter morbi determinatio pertinet ad eius essentiam. In diuersis ergo morbis diuersa esse debet. Quamobrem dubium non est, *quin differentiae morborum pro ratione modi, quo in vires corporis humani agunt, constitui possint.*

## §. III.

Praxis medica, ad morbos relata, id efficere conatur, vt morbi abigantur. Nullus vero morbus concipi potest, nisi actio in vires corporis humani destructrix adsit (§. anteced.), atque, vbiunque haec adfuerit, praesens quoque existit morbus (§. citat.). Eo ergo praxis  
medi-



medica, circa aegritudinum sanationem occupata, adniti debet, vt actio illa, quae sub morbo vires corporis humani destruere sibi quasi sumit, tollatur & extirpetur. Facto vero & impetrato hoc, *vires corporis humani congrue diriguntur.* Tota itaque haec praxeos medicae pars circa congruam virium corporis humani labefactarum directionem versatur. Differentiae ergo morborum, quae ex eo, quod diximus (§. anteced.), fundamento eruuntur, ex conuenientissimo deducuntur principio (§. I.). Pathologiae consequenter summa perfectio requirit (§. II.), vt differentiae morborum inde praecipue petantur.

§. IV.

Nulla ferme morborum differentia accidentalis tanti est ponderis, quanti ea, qua morbi in *acutos & chronicos* diuiduntur. Nil dicam de insigni vtilitate, quae hinc ad Pathologiam redundat, dum melius exinde vera morborum natura faciliusque determinatur; sed ad solam tantum praxin respiciam. Videmus, in curandis morbis chronicis vitia, satis saepe grauia, haud raro absque notabili damno committi; in morbis vero acutis leue etiam damnum adeo frequentissime nocere, vt horribilis maximeque tristis hinc morbi producat euentus. Morbi acuti, properante cursu stadium suum absoluentes, requirunt, vt Medicus, quidquid agere velit, cito agat, ne perditio irreparabili tempore, moerens hoc incassum reuocet; morbi contra chronici, tardius progredientes, permittunt, vt Medicus auxilia, quae ars sua suppeditat, rite diiudicet, morbiq; curandi genio accommodet, & longius nactus temporis spatium,  
plura,



§ De Morborum acutorum & chronicorum

plura, prioribus insufficientibus, excogitet, inueniat, adplicet. Quum itaque distinctio morborum, in chronicos & acutos, tantum in Medici actionibus dirigendis valeat: maximi eandem esse ponderis iure concludo. Quare necesse est, vt id, quod §. anteced. generatim demonstraui, ad hanc potissimum adplicetur differentiam.

§. V.

Atque de hoc argumento B. L. mecum differere constitui; ostendam, quemnam ad vires corporis humani, tam chronici, quam acuti morbi habeant respectum, hincque veram horum morborum deducam differentiam, praxi dein accommodandam. Opus iam est, vt vulgares notiones, quas cum istis vocabulis coniungunt Medici, praemittantur, atque inde, quae meo mihi argumento fauere videntur, limato eruantur ratiocinio. Non dubito, fore, vt dein B. L. perspiciat, multa hic tradita esse, quae ad horum morborum veram naturam melius cognoscendam multum conferunt.

§. VI.

*Morbus acutus*, significatu satis noto, denotat morbum, qui & breui temporis interuallo, & cum insigni vitae periculo decurrit; *chronicus* contra ea nominatur, qui longius, siue cum, siue sine periculo adfligit. Vid. *Illustris PRAESIDIS Dissert. de Transitu morbi chronici in acutum & acuti in chronicum*, anno praeterito hic ventilata. Consentit *celeberr. GAVBIUS, Instit. Pathol. med. §. 867.* quo loco simul tempus adsignatur, per quod morbi acuti durare debent. Morbos, qui



qui breuiter quidem, sine tamen periculo, absoluuntur, *breues dixit doctiss.* GAUBIUS *loc. cit.* Saepe tamen eodem vocabulo, ad significandos morbos acutos, vtuntur Medici.

## §. VII.

In eo iam occupatus, vt datas has notiones (§. VI.) cum definitorum morborum ad vires corporis humani respectu comparem (§. V.), id ante omnia agam, vt ostendam, *quid sit vitae periculum? quid in corpore requiratur? quomodo vires corporis sub eodem accipi debeant? quid agant? quid patientur? quid demum insigne, & breui quasi aut longiore temporis spatio circumscriptum, sibi velit vitae periculum?* Hinc enim gressu satis leuicuro incedentes ad veritatis sacra ducemur.

## §. VIII.

Quando vita corporis humani eminentiori in gradu laeditur: *vitalis tunc periculum* adesse dicunt Medici. Quo propius itaque corpus humanum a morte abest: eo grauius erit illud periculum. Vitae periculum ea propter est *insigne*, quando corpus humanum adeo adfligitur, vt non multum absit, quin vita illius plane desinat. Vulgus etiam has notiones confirmat.

## §. IX.

Longe grauior est quaestio: *quid vitae periculum in corpore requiratur* (§. VII.)? Demonstrant Physiologi, ex indiuiso functionum corporis humani nexu, omnes huius corporis actiones, cuiuscunque etiam sint in statu naturali genii, ad illius producendam & stabilendam vitam suam conferre symbolam; dari vero inter has nonnullas, quae proximius ad hunc finem conspirant,

B

quas



quas idcirco *vitales* nominant. Ab harum itaque integritate, laesione & abolitione, vitae etiam corporis humani integritas, laesio & abolitio pendet. Quum ergo nulla vitae adfectio cogitari queat, nisi similis cogiterur in functionibus vitalibus: sequitur, *omne vitae periculum requirere, ut istae functiones eminentiori in gradu laesae sint* (§. anteced.). Confer. *Illustris PRAESIDIS Dissert. cit. Quare insigne vitae periculum postulat, ut functiones vitales adeo laedantur, ut non multum alfit, quin plane desinant* (§. anteced.). Quod etiam experientia in isto casu egregie comprobatur.

## §. X.

Quum cordis, vasorum cordi annexorum, & pulmonum functiones in nato homine sint functiones vitales (per Physiolog.): sequitur, ad has functiones id applicari debere, quod §. anteced. de functionibus corporis nostri vitalibus asseruimus.

## §. XI.

Periculum ergo vitae efficitur (§. anteced.), quando I.) *viscera vitalia ipsa* (§. cit.) *adeo graviter adficiuntur, ut eorundem functiones enormiter laedantur* (§§. VIII. IX.). Tussis, febris omnis, viscera vitalia adgrediuntur. Non semper tamen vitae periculum inferunt. Quando itaque hoc subnauci debet, non solum generatim viscera vitalia laedi, sed gravius pati debent; neque functiones eorundem hinc tantum imperfectiores, sed enormi in gradu laesae reddantur necesse est. II.) *Quando eae partes insigniter adficiuntur, quarum functiones proximus influunt in functiones vitales* (§. anteced.).

Fieri



Fieri enim tunc aliter non potest, quin functiones vitales simul enormiter laedantur; ergo vitae periculum producatur (n. I.). Pertinent huc: diaphragma, musculi respirationi inferuientes, aspera arteria, fauces, nares, cerebrum, medulla spinalis, &c. III.) *Quando illae partes, quarum functiones remotius quidem in statu naturali in functiones vitales influunt, tantopere tamen laeduntur, ut hinc non possint non functiones vitales enormiter adfici.* Patet veritas huius asserti ex num. I. Reuocare huc possumus v. gr. scirrhum oesophagi, aut ostii ventriculi superioris, diutius adfligentem. Praeter hos casus nullus alius existit, in quo dici vere posset, vitae adesse periculum, quod ergo generatim sufficienter est determinatum.

§. XII.

Quo grauior ergo adductorum casuum quidam (§. anteced.); quo plures eorundem vna obtinent: eo maius adest vitae periculum. Patet ergo exinde, *quid sibi insigne vitae periculum vindicet* (§§. VIII. IX. & anteced.):

§. XIII.

Sequatur iam *respectus* eiusmodi *vitae periculi ad vires corporis humani* (§. VII.). Dum functiones corporis humani a viribus, ipsi quasi insitis, proueniunt (per Physiolog.): sequitur, illas laedi non posse, nisi in his quoque fiant a statu sanitatis aberrationes. Verum in viribus corporis humani nullae aliae possunt a statu integritatis aberrationes contingere, nisi quae eorum vel plenarium defectum, vel debilitatem, vel excessum, vel abnormem directionem concernunt. Lae-



ſis itaque corporis humani functionibus, non poterit non vna vel altera harum aberrationum obuenire. Quoniam nunc, ſub omni vitae periculo inſigni, potiſſimum functiones vitales laeduntur (§. X.), idque deſcripta ratione (§§. XI. XII.): nullum eſt dubium, quin & hic aberrationes virium, functionibus vitalibus deſtinatarum, a ſtatu ſanitatis accidere debeant. Quaeritur iam: *quanam illae ſint & eſſe poſſint?*

## §. XIV.

Quando vitae adeſt periculum, ipſa tunc vita, quamvis adſiſta, praefens eſt (§. VIII.); quando autem vires functionum vitalium plane deficient, functiones ipſae, tamquam illarum effectus, hinc vita quoque, abſint neceſſe eſt (§§. IX. XIII.). *Praeſente itaque vitae periculo, virium, functionibus vitalibus inſeruientium, plenarius defectus adeſſe nequit* (§. anteced.). A morte omnis morbus, omnis ſanitas, omnis vita, omne vitae periculum ceſſabit.

## §. XV.

At ex harum virium debilitate vitae periculum omnino oriri poteſt (§. XIII.). Debilitatis enim functionum vitalium viribus, debilitantur functiones vitales ipſae; ergo & ipſa vita (§. IX.). *Quando itaque eiſmodi debilitas inſigniori in gradu contingit: fieri tunc aliter non poteſt, quin vitae oriatur periculum* (§. VIII.). Quis negabit, virium reſpirationis, cordis, huicque adnexorum vaſorum debilitatem enormem, cum vitae periculo ſtipari?

## §. XVI.



## §. XVI.

Attendentes porro ad virium functionum vitalium excessum (§. XIII.), edocemur, hinc quoque vitae periculum suam posse originem sumere. Nam 1) fieri potest, ut ab excessu virium, functiones vitales determinantium, ingens dein oriatur debilitas (§. anteced.). Nemo enim nescit, vires corporis humani, nimium quantum agentes, tandem satis notabilem contrahere debilitatem. Ita cor, ita vasa, diu valide agentia, adeo grauius demum debilitantur, ut motus, abinde in corpore oriundi, magnopere decrescant. 2) Fieri potest, ut, si nominatae vires excedant in sua actione, alia hinc, siue in ipsis functionibus vitalibus, siue in aliis, cum his proximis connexis, mutatio producat, quae viscera vitalia insigniter laedit (§§. IX. X. XI.). Ita scimus, ab enormi cordis vasorumque actione apoplexias, lethales haemoptyses, suffocationes, &c. determinatas esse. 3) Fieri potest, ut causam morbi, per se iam periculosi, augeat (§. XII.). Sic notum est, ab intensa circulatione augeri febres, ex acrimonia ortas, inflammatorias, aliasque saepe periculosas. 4) Fieri potest, ut, cum alio morbo connexus, hunc periculosum reddat. Sic docemur, ab ingenti sanguinis impetu inflammationem facile commurari in gangraenam & sphacelum. Quae cum ita sese habeant, luce meridiana clarius ostendunt, excessum nominatarum virium vitae periculum inferre posse.

## §. XVII.

Quod demum *abnormem virium*, ad producendas functiones vitales necessariorum, *directionem* attinet (§. XIII.):



in hac quoque haud raro causa vitae periculi quaerenda erit. Etenim 1) efficere potest, ut vires istae insigniter debilitentur (§. XV.). Dum sanguis a viribus, quibus movetur, abnormi ratione versus caput nimis excedente in copia propellitur: fit inde haud raro, ut, orta apoplexia aut paralyfi magis particulari, motus demum vitales debilitentur. 2) Efficere valet, ut morbus periculosus magis periculosus, minus periculosus autem periculosior fieri queat. Ita fit, ut, si materia exanthematica ad interiora loca retroagitur, magnum morbi periculum producat. 3) Nonnunquam vires functionum vitalium vel nimium excitat, vel infringit (§§. XV. XVI.). Contingere hoc v. g. potest, quando bolus, vel particula aliqua cibi laryngem ingreditur. Satis ergo exinde perspicitur, vitae periculum a virium functionum vitalium abnormi directione suboriri posse.

## §. XVIII.

Sub omni vitae periculo insigniter vires functionum vitalium adici debent (§§. XI. XII.), vereque adficiuntur (§§. XV. XVI. XVII.). Quum vero, praeter plenarium defectum, debilitatem, excessum & abnormem directionem, nulla alia laesio respectu virium corporis humani, hinc earum quoque, quae functiones vitales sustentant, cogitari queat (§. XII.), atque demonstratum sit, defectum harum virium plenarium sub vitae periculo adesse non posse (§. XIV.), sed tria reliqua tantum vitia adducta (§§. XV. seqq.): sequitur, *id, quod sub vitae periculo patiuntur vires corporis humani, in eo consistere, ut vel vires functionum vitalium sint debilitatae, vel enormiter agant, vel abnormiter dirigantur* (§§. cit. & §. VII.).



§. VII.). Quoniam autem vires istae saepe numero vel debilitantur, vel excedunt, vel abnormiter diriguntur, licet nullum vitae existat periculum (per Observat.): colligitur exinde, *functiones vitales descripta §. XIII. ratione laedi debere, quando a laesis viribus suis vitae periculum induci debet.* Quod cum contingere debeat, quando vitia enumerata insigniori in gradu adsunt (§. VIII.), nullum est dubium, quin *omne vitae periculum requirat, ut virium debilitas, excessus & abnormis directio nimirum quantum a statu sanitatis recedant, simulque vires functionum vitalium occupent.* Atque sic in vicem verisam concludi posse, ex antecedentibus & §§. XV. XVI. XVII. facile elucescit.

§. XIX.

Ex §. antecedenti concludere possumus: 1) *Causam vitae periculi descripta ratione in vires functionum vitalium agere debere;* 2) *insigne vitae periculum (§. VIII.) requirere, ut vitia etiam, §. anteced. notata, grauiori ad-buc gradu adsint.*

§. XX.

Quando vitae periculum in corpore nascitur: adfi-ciuntur tunc vires functionum vitalium (§. XIII.). Qua-re causa vitae periculi in eandem actionem suam exfere-re debet. Quum vero, durante vitae periculo, vires istae adhuc perdurent (§. XIV.): sequitur, vt hae actio-ni causae vitae periculi resistent inque eandem reagant. Quum hactenus ergo de *passione* istarum virium sub vi-tae periculo dictum sit (§§. XIII. - XIX.): erit iam de ea-rundem *actione* fusius disserendum.

§. XXI.



## §. XXI.

Subnata vitae periculi causa, corpori quidquam inhaeret, quod statui sanitatis minus responderet. Dum itaque ab eadem vires functionum vitalium adfiuntur & ad agendum stimulantur: non poterit non talis exinde in istis suboriri *actio*, quae, sibi relicta, cum sanitatis statu minus conspirat. Erit itaque vitium & morbus in viribus istis, quando haec a causa vitae periculi ita excitantur, ut in eandem reagant. Nunc ostendimus §. XIV. sub vitae periculo nulla alia vitia respectu virium functionum vitalium existere posse, nisi debilitatem, excessum & abnormem a statu sanitatis directionem. Quaeritur itaque: an omnia haec modo nominata vitia, respectu reactionis saepe adductarum virium, sub vitae periculo adesse queant? seu, quod idem est, an, quando causa vitae periculi in vires vitales agit, hinc harum talis oriatur reactio, ut dicere tunc possimus, vires vitales modo nimium debilitatas esse, modo in agendo nimium excedere, modo demum nimium abnormiter dirigi?

## §. XXII.

Quando debilitas virium vitalium (§. anteced.), sub reactione earum, in causam vitae periculi assumitur: cogitabitur simul *debilis reactio*, quae dictio duplici ratione explicari potest: 1) Vires istae ita reagunt, ut actio earundem, respectu gradus, minor sit actione naturali; 2) vires istae talem exerunt reactionem, ut actio haec maior quidem statu sit naturali, minor vero causa vitae periculi, i. e. non tanta, ut hinc causa vitae periculi susperari queat. Vtrumque casum sub vitae periculo existere posse, experientia docet. Dum ingens polypus in  
cordis



cordis auriculis nascitur, hinc demum vis cordis adeo superatur, vt minorem statu sanitatis actionem exferat. Dum porro bolus asperae illabitur arteriae, non expellendus, omnes quidem respirationis vires, sed sine salutari effectu, excitantur; adest ergo tunc actio statu sanitatis maior, verum respectu causae vitae periculi debilis. Quare constat, *sub reactione virium vitalium debilitatem occurrere posse.*

## §. XXIII.

Quando contra ea sub vitae periculo excessus vitalium agentium ponitur: *excedens* quoque *nimisque fortis* concipitur *reactio*, quae designat 1) actionem illa, quae vigente sanitate obtinet, maiorem; 2) actionem ea, quae superanda causa vitae periculi requirit, longe maiorem. Vtrumque, docente id experientia, vere saepe sub vitae periculo obtinet. Dantur febres periculosae: nonne vero etiam obseruatur saepe, vtrumque tunc descriptum casum obuenire? Docent itaque haec, *quod, quando vires vitales in causam vitae periculi reagent, istarum in agendo excessus possibilis sit* (§. XXII.).

## §. XXIV.

Quod demum *abnormem virium vitalium a statu sanitatis directionem* attrinet (§. XXII.): haec quoque *se se in reactione ista exferere potest.* Iterum id experientia suadet. Quam saepe enim fit, vt materia, quae periculum infert, v. g. exanthematica, ita vires cordis & arteriarum excitet, vt ad nobilissima corporis loca vehatur?



## §. XXV.

Ex iis, quae hactenus fufe de passione & actione virium vitalium diximus (§§. XIII. - XXIV.), cognoscitur, sub omni vitae periculo vires vitales a causa vitae periculi ita vel infringi, vel excitari, vel dirigi, ut hinc modo ob debilitatem, modo ob excessum, modo ob abnormem directionem, vitae inferant periculum. Ergo etiam nihil unquam, nisi quod depicta ratione in vires vitales agit, causa vitae periculi existere potest; omne contra ea, quod istas vires ita adscit, excitat & modificat, vera erit periculi causa. Patet itaque simul, quid insigne vitae periculum requirat?

## §. XXVI.

Quum morbus periculosus dicatur is, qui cum vitae periculo stiparus est: sequitur, morbi periculosi, quatenus periculosi, symptomata, vel in debilitate, vel in excessu, vel in abnormi directione virium vitalium, quatenus ea, qua §. anteced. designantur, ratione sese habeant, posita esse. Vnde simul patet, eadem, sub hoc respectu, nunquam esse posse symptomata morbi non periculosi.

## §. XXVII.

Quum sensibilitas & irritabilitas potentissimae sint vires, quibus functiones vitales inniuntur: sequitur, id, quod hactenus de viribus vitalibus traditum est, ad has potentissimum vires applicari debere, inque easdem praecipue quadrare.

## §. XXVIII.



## §. XXVIII.

Determinatis iis, quae virium corporis humani rationem ad vitae periculum ostendunt: vnicum tantum adhuc euinci debet, ante quam veram morborum acutorum & chronicorum differentiam stabilire possimus. Quum nempe experientia doceat, periculum vitae respectu temporis, quo perdurat, differre; quaeritur: an hinc quoque diuersitas quaedam in respectu illius ad vires vitales & quaenam oriatur? Tota haec quaestio ex sequentibus propositionibus diiudicari poterit. Primo: *Vitae periculum, quod celeriter decurrit, numquam existeret potest cum tanta virium vitalium debilitate, ut actio, quam vires istae sub reactione in causam vitae periculi exserant, minor sit ea, quam in statu naturali producunt.* Quando enim vitae periculum celeriter absoluitur: hoc fit *vel* ideo, quod causa illius nimis valido impetu in vires vitales agit, *vel* eam ob causam, quod ob causam vitae periculi, viribus vitalibus admotam, hae ita adiciuntur, ut mutatio hinc periculi plena breuisque simul decursus oriatur. Si posterius: validius omnino istae vires, quam in statu naturali, agere debent. Tunc enim causa, in vires vitales agens, in se considerata, vitae periculum breuioris decursus non determinat, sed potius actio virium vitalium. Quod si hae itaque tantam, ut dixi, debilitatem in agendo exsererent: causa quidem vitae periculi in vires vitales agere pergeret, sibi vero relicta, ad periculum vitae per breue tempus durans determinandum, insufficientis, neque a validiori in eo casu virium vitalium actione sustentata, non posset periculum vitae, breuiori temporis spatio limitatum, efficere. Si prius obtineat: hoc vel pender a magnitudine



causae, in se consideratae, vel a respectiva virium vitalium debilitate. Si illud: valide reagere debent vires vitales, hinc statu naturali fortius. Si hoc: numquam tamen, vivente adhuc homine, tanta suboriri observatur in istis virium debilitas, ut non, validiore in easdem agente causa, suscitari queant. Docent id adeo viribus fracti hydropici, qui magna saepe torquentur febre. Quum ergo in eo, quem potuimus, casu, valida in vires vitales agat causa: istae quoque vires tunc validius statu naturali agere debent. Quum vero haec omnia ita sint: veritas adductae propositionis exinde elucescit. Egregie haec propositio per experientiam confirmatur. In insultu catarrhi suffocativi, in apoplexia sanguinea, in febribus variis, quae huc pertinent, veritatem illius observamus. Quare iure inde etiam concludimus, *omne id, quod vitae periculum brevioris decursus inducere valet, ita in vires corporis humani vitales agere debere, ut hinc in iisdem excessus (§. XXIII. num. 1.) contingat, quando in causam vitae periculi reagent.* Oppositum enim obvenire non posse docuimus.

## §. XXIX.

Secundo: *Quando vitae periculum ob abnormem virium vitalium a statu sanitatis directionem suboritur: aderit tunc vel nimia istarum virium debilitas, vel earundem nimis in agendo excessus:* Quando enim quidquam in corpore obtinet, quod vitae inducit periculum, atque a reagentibus viribus vitalibus ad eum non dirigitur & propellitur locum, qui conveniens est: *abnormem tunc virium vitalium sub vitae periculo assumimus directionem.* Quare status iste induci potest vel a debilitate,



litate, vel ab excessu virium, vel a quacunq[ue] demum apta resistentia. Ita videmus, a languido aut nimis intenso reddito circulo sanguinis, vel etiam a spasmo cutis, miasma quoddam in corpore retineri. Quoniam nunc sub aucta erga vim quandam corporis humani resistentia, illius modo debilitatem, modo excessum adsumere possumus, quod vel sola experientia commonstrare potest: sequitur, sub allata hypothese veram esse propositionem. Neque experientia refragatur. Considera v. g. febres exanthematicas, quae a maligna quadam proveniunt materia.

§. XXX:

Tertio: *Quando vitae periculum longioris est decursus, vires vitales languidius in causam vitae periculi reagere debent.* Etenim vitae periculum, quod longius durat, requirit, vt causa illius minus in vires vitales agat, ac causa vitae periculi brevioris decursus. Hinc etiam reactio minor seu languidior esse debet. Vera itaque est propositio.

§. XXXI.

Quodsi nunc, quae haecenus evicta sunt, colligas: patebit exinde vera morborum acutorum & chronicorum differentia. Morbus nimirum, & breviter decurrens, & cum insigni vitae periculo stipatus, requirit 1) vt *causa quaedam graviter adfligat functiones & vires vitales:* 2) vt *vires vitales, respectu status sanitatis, excessu quodam in istam reagant causam.* Quoniam praeterea demonstratum est, sub eiusmodi morbo neque debiliorem statu sanitatis reactionem (§§. XXVIII. XXX.), neque



neque abnormem virium vitalium a statu sanitatis directionem sine excessu (§. XXIX.) locum habere posse: eiusmodi morbus congrue satis defini potest per *morbum, sub quo vires vitales tam grauius adficiuntur, ut excessu nimio, respectu sanitatis, reagant.*

## §. XXXII.

Morbus vero periculosus quidem, sed longioris decursus, sibi vindicat 1) *minorem virium vitalium adfectionem, hac scilicet ad eam relata, quae sub morbis periculosis breuioris decursus obtinet (§. anteced.); 2) languidiorem virium vitalium reactionem (§. XXX.).* Eiusmodi ergo morbus defini potest per *morbum, sub quo quidem vires vitales adficiuntur, ita tamen, ut haec languidius reagant.* Confer. §. anteced.

## §. XXXIII.

Morbus tandem longioris decursus & minus periculosus postulat: 1) *ut vires vitales leuissime adficiantur (§. XXXI. XXXII.); 2) ut vires vitales eadem ratione reagant; 3) ut causa morbi vel continuo recrudescat, vel reliquae etiam corporis humani vires tam debiles sint, ut causam morbi eradicare cito nequeant.* Hic ergo morbus defini potest per *morbum, sub quo vires vitales leuissime & adficiuntur & reagunt, reliquis corporis humani viribus vel non satis resistentibus causae morbi, vel leuius contra eandem agentibus.*

## §. XXXIV.

Morbus acutus est morbus breuioris decursus, cum notabili simul connexus vitae periculo (§. VI.); in hunc ergo



ergo ea quadrant, quae §. XXXI. adduximus. Morbus chronicus est morbus, qui longius perdurat, siue cum, siue sine periculo (§. VI.). Quare de eo illa dicenda veniunt, quae continent §§. XXXII. & XXXIII. Ex quibus itaque vera morborum chronicorum & acutorum differentia haurienda erit. Fundamenta huius ergo differentiae sequentia sunt: 1) Morbus acutus valdeperere semper adficit vires vitales (§. XXXI.); morbus vero chronicus vel leuissime (§. XXXIII.), vel longe tamen minori in gradu in easdem agit. 2) Sub morbo acuto vires vitales valde in reagendo statum sanitatis excedunt (§. XXXI.), quod minus obtinet in morbo chronico (§§. XXXII. XXXIII.). Quae duo differentiae momenta, si rite pensitentur, docent: *morbum acutum concipi posse, ut morbum, sub quo vires vitales intensius in morbum causamque morbi agunt; morbum vero chronicum, ut morbum, sub quo vires corporis humani vitales in morbum causamque morbi languidius reagunt.* Haec ergo differentia non solum erit vera, uti ex hactenus demonstratis patet, sed ita etiam comparata, ut vitilitate non careat, prouti ex iis cognosci poterit, quae statim in initio huius Dissertationis (§§. I-V.) fusius adduxi.

§. XXXV.

Cognosci etiam ex hactenus enictis poterit: *quaratione morbus, quem breuem diximus (§. VI.), repraesentari possit? Quum enim neque longius adficiat, neque cum periculo stipatus incedat: morbus erit, sub quo vires corporis humani quidem in agendo mutantur (est enim morbus), verum ita, ut vix ullam respectu excessus*



*cessus aut debilitatis & languoris notabile deprehendatur vitium* (alias enim esset vel periculosus, vel tamen longioris durationis). Plura de eiusmodi morbis dicere propositum meum non permittit.

## §. XXXVI.

Quamquam vera ista, quam dixi, morborum chronicorum & acutorum differentia ex principiis satis certis deducta est: non inutile tamen negotium fore censeo, si eandem per experientiam & observationes magis corroboratam exhibeam. Saepe enim fit, ut exactissime etiam a ratione deducta demonstratio hac in re non conuincat; neque forsitan omnibus principia pathologica, quae fundamenti loco posui, arrident. Veritatem ergo huius differentiae per exempla confirmabo, nonnullos morbos acutos atque chronicos respectu illius breuissime diiudicando & perlustrando.

## §. XXXVII.

Febrem inflammatoriam quilibet habebit pro morbo acuto. At omnia etiam, quae de morbis acutis attuli, in ea obseruas. Nata enim inflammatio potentissime agit in vires vitales, atque haec, ut intensa docet febris arteriarumque pulsatio, validissime reagunt. Compara cum ista febrem lentam! Periculosa haec est febris, sed longioris simul decursus. Adficiuntur vires vitales, reagunt etiam in morbum & causam, at longe debilius. Scabies, in se considerata, saepe non est morbus periculosus, longioris tamen durationis. Verum obseruas etiam, satis debilem virium corporis humani reactionem adesse, & vix notabiliter  
vires



vires vitales adfici. Hinc ergo ea, quae dicta sunt, confirmantur. Considera porro febres biliofas, exanthematicas, melancholiam, febres intermittentes, luem veneream, phthilin, aliosque quam plurimos chronicos & acutos morbos, & videbis, adductam differentiam semper obtinere, atque vt id perspicias, symptomatum, cum istis morbis connexorum, eorumque magnitudinis habeas rationem.

## §. XXXVIII.

Neque potuit adeo vera, adeo vtilis horum morborum differentia ab Obseruatoribus plane omitti. Videtur mihi SYDENHAMVS eandem notare. Postquam enim dixerat, morbum nil aliud esse, quam Naturae conamen, materiae morbificae exterminationem, in aegri salutem, omni ope molientis, haec habet: *Iam vero nunc hoc munere celerius fungitur natura, nunc vero tardius, pro varia methodo, qua causam morbificam deturbare nititur. Nam cum febris operam deposcit, qua adiutrice particulas inquinatas a sanguine diuellat, diuisaque progressu adhuc ulteriori per sudores, diarrhoeam, eruptiones, aut aliam istiusmodi euacuationem expellat, cumque in sanguinis massa, corpore pertenui ac fluido, res omnis peragatur, idque motu partium v. olentiore, necesse omnino est, non solum vt subito vel in salutem aegri, vel in mortem determinetur (prout scilicet Natura vel materiam morbificam crit ce nouerit soluere, vel ab eadem oppressa fatiscat), sed etiam vt peiora vehementioraque symptomata se vbiq; comites adiungat. Atque huiusmodi plane sunt morbi isti, quos acutos appellamus, qui velociter scilicet atque cum impetu & periculo ad*

D

statum



statum perueniunt — — —. Vbi vero continens morbi materia eius est indolis, ut febrem in partes suas pertrahere non valeat, ad dictae materiae separationem vniuersalem; aut cum huiusmodi materia parti alicui affigitur, quae eidem explodendae prorsus est impar, — — in his, inquam, casibus vel tarde admodum ad coctionem peruenit materia, vel non omnino; adeoque morbi ab huiusmodi materia incoctili provenientes chronici & nuncupantur, & sunt. A duobus his itaque principiis, sibi inuicem contrariis, de quibus modo egimus, morbi alii acuti, alii vero chronici exsurgunt. Conf. SYDENHAMI *Observat. med. circa morborum acutor. histor. & curat. Cap. I.* Quilibet, me etiam non monente, perspicit, SYDENHAMVM in condenda morborum chronicorum & acutorum differentia ad eam egregie attentum fuisse, quam fufius antea commonstravi. Ad eandem BOERHAAVIUM respexisse, ex iis, quae in *Aphorism. de cognosc. & cur. morb. §. §. 1050. seqq.* habet, probabili argumento concludi potest, collatis simul *Perillustr. van SWIETEN Commentariis in loc. cit.* Confer. etiam *Illustris Praesidis Fundam. Patholog. gener. Sect. I. Cap. VI. §. III.* Ex iis enim, quae hic dicuntur, collatis principiis aliis pathologicis, manifestissime sequitur, vires vitales sub acutis valdopere intendi, minus vero in chronicis.

## §. XXXIX.

Corroborata hac ratione illa morborum chronicorum & acutorum differentia, quam non solum pro vera, sed maxime etiam utili, tam in theoretica, quam practica Medicina, habeo: praeter ea, quae iam §§. I—V. de



de eius utilitate adduxi, specialiōra nonnulla adiiciam, vt beneuolum Lectorem hac de re quam maxime conuincam. Non omnia quidem hic dicam, quae ex allata horum morborum differentia fructuose in Pathologia & Therapia deduci possunt; potiora tantum afferam, vt hac ratione cuilibet viam pandam ipsique antam, plura exinde deriuandi, praebeam. Nisi enim conuictus fuissē, omnia, quae de natura horum morborum & medendi methodo, ipsi destinata, in Medicina dicuntur, melius longe, quam haecenus fieri potuit, demonstrari posse, posita ea, quam attuli, differentia: certe de ea non differuissem.

## §. XL.

Ex haecenus nempe suppeditata morborum chronicorum & acutorum differentia concludere possumus: I) *In acutis sensibilitatem & irritabilitatem valdopere, in chronicis contra ea vel plane non, vel lenius adfici debere.* Notum enim est, adductas vires inter vires vitales maxime eminere, earumque potentiam in reliquis viribus, quibus gaudet corpus humanum, excitandis satis esse magnam. II) *Corpora itaque sensibilia & irritabilia morborum magis acutorum impetui, corpora contra ea insensibilia & torpida morbis chronicis magis exposita esse.* Conter. GAUBII *Instit. Patholog. med.* § §. 180. 199. III) *Quidquid ergo sensibilitatem & irritabilitatem auget, illud ad acutos morbos; quidquid vero has vires minuit, ad chronicas aegritudines disponit.* Conf. IDEM *loc. cit.* § §. 194. 198. IV) *Morbos acutos vel veras febres sistere, vel cum iisdem facile connexos existere.* Etenim febris oritur a fortiore stimulo cordi adplicato, qui



qui actu praesens est sub morbo acuto (num. I.). Conferantur hic ea, quae §. XXXVIII. ex SYDENHAMI Observationibus excitaui. V) *Febres chronicas requirere, ut orientur vel a debilibus corporis viribus, stimulo simul haud magno praesente, vel ab alia causa, graui quidem, non plena tamen vi statim in vires vitales agente.* Alias enim fortius vires vitales excitari deberent, vnde non chronica, sed acuta potius febris redundaret. Prius obseruamus in lenta, postterius in febribus intermittentibus. VI) *Quando in subiecto, morbo aliquo chronico detento, qui cum febre non necessario connexus est, oritur febris, imprimis acuta, fortissimam tunc adesse causam conicere licet.* Quum enim eiusmodi subiectum magis torpore laboret: opus omnino est, vt febris, acuta potissimum, comparens in isto subiecto, a leuiori causa proficisci nequeat. Videmus hanc propositionem in febribus hydropicorum acutis confirmatam. VII) *Morbam acutum, chronico accedentem, nisi aliunde noceat, respectu cuius bonum esse.* Quum enim sub chronico vires langueant, sub acuto vero intensius agant: fieri inde potest, vt morbus chronicus vna cum acuto superetur.

## §. XLI.

Paucis hisce, ad Pathologiam spectantibus, nonnulla addam, quae *Therapiam* methodumque convenientem respiciunt: Ex adducta nimirum morborum chronicorum & acutorum differentia patet. I.) *cur morbi chronici tantum curationi resistant, acuti, ceteris paribus, facilius sanentur?* Vt enim medicamenta & remedia salutarem in morborum curatione exerant effectum,



Etum, opus est, ut vires corporis humani simul concurrant. Minus hoc fieri potest in chronicis, magis in acutis aegritudinibus. Hi itaque generatim faciliorem, isti difficiliorem admittent sanationem. Confer. GAVBIUS loc. cit. §. 199. II.) *In curandis morbis chronicis eo maxime respiciendum esse, ut robur virium corporis conservetur, restituatur & augeatur.* Alias vel ob ipsam morbi durationem magis adhuc franguntur, & ad morbum superandum impotentes redduntur. III.) *In curandis morbis acutis maxime attendendum esse: an excessus, in actionibus virium vitalium observatus, magnitudini causae, in illas agentis, respondeat, aut non? an vite vires dirigantur, aut non?* Hinc modo excitandae, modo sopiendae sunt vires vitales; hinc etiam earum actio modo sustentanda, modo ad alias partes dirigenda erit. IV.) *In curandis morbis acutis caute mercandum esse cum iis, quae vires excitant.* Vires enim intensius iam agunt. Spirituosa itaque, calor aëris insignis, medicamenta & remedia stimulantia, opiata, victus valde nutriens, aliaque huius farinae plura, maxima cum cautione, vel plane non in morbis acutis adhiberi debent. V.) *Convenire potius, nimium quantum viribus vitalibus, in agendo excedentibus, temperantia, obvoluentia, blande evacuantia, victum simplicem, cibos vegetabiles, aut animales cum vegetabilibus conditos & praeparatos, aliaque similia, quae praesentem iam stimulum non augent, sed potius infringunt & eneruant.* Ratio patet ex iis, quae num. IV. allata sunt. VI.) *In curandis contra ea morbis chronicis congrua nutrientia conducere, cautius cum iis mercandum esse, quae vires corporis humani nimium infringunt &*



*cum euacuantibus, taliaque semper leniora, neque nimium stimulantia, exhibenda esse.* Pater ratio ex num. II. Facile vero cognoscitur, in hisce adhibendis specialem morbi genium attendi debere, qui vix permittit, vt generales, in curandis eiusmodi morbis obseruandae, condantur regulae ea ratione, vt numquam easdem laedere liceat & conducat.

## §. XLII.

Qui tradita haec tenus attendit mente: plura adhuc morborum chronicorum & acutorum phaenomena explicabit. Intellet is sollempnia eorum symptomata visceraque, quae ab iisdem adfiguntur; cognoscat causam generalem, quae morbum chronicum in acutum, & acutum in chronicum commutat; determinabit diuersum magnitudinis in chronicis & acutis aegritudinibus gradum, & signa, quibus hi morbi a se inuicem distinguuntur. Inueniet facile ea remedia, quae in acutis & chronicis vel adhibenda, vel reiicienda sunt; deteget ea, quae generatim aut nonnullis tantum in casibus cum vtilitate viurpari queunt, gratiasque simul ager manibus HOFFMANNI, SYDENHAMI, BOERHAAVII aliorumque, qui, explosa calida in acutis medendi methodo, rationalem Medicinam restaurarunt, eandemque vere salutarem reddiderunt.

T A N T V M.



Quod





Quod nemini mortalium magno sine  
Labore concessum fuit,  
Decus TIBI Minerua dat, CARISSIME!  
Et iura doctoralia.

Hinc gratulamur atque gaudium TIBI,  
Quod attulit nobis dies  
Festiva, declaramus hocce carmine,  
Gratesque publicas TIBI  
Perfoluimus quas possumus quam maximas,  
Quod semper integerrimo  
Amore nos amplexus es. Sed non iuuat  
TE commorari laudibus.  
Addenda tantum vota sunt sequentia:  
Beatus & saluus redi

In



In patriam, magnumque sis illi decus;  
Et optimis parentibus  
Solatium; cuncti sive fer aegris opem  
Vivas diu & nostrum memor!

PRAENOBILISSIMUM ATQUE DOCTISSIMUM  
**HANS VENNINGHAVSEN,**

AMICVM SVVM DILECTISSIMUM,  
SYMOS IN MEDICINA HONORES CAESSEMTEM,  
HOCCE CARMINE GRATVLAEVNDI PROSE-  
QVI VOLVERVNT

**M. CHEMNITZ, I. M. MACKEPFRANG,**  
ET I. N. WEISSER,  
DISSIDENTENTES.






01 A 6528


ULB Halle 3  
002 928 698











DE  
**MORBORVM**  
ACVTORVM ET CHRONICORVM  
DIFFERENTIA VERA

DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS

ET

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, ET REGIORVM ALVMNORVM EIHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI, ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**PROGRADV DOCTORIS**

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE VIII. DECEMBRIS A. R. S. **MDCCCXLIV.**  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

**HANS VENNINGHAVSEN**

BVRGO-FEHMERANVS.

HALAE MAGDEBVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.